DE MISCELLANEIS GERMANIÆ ANTIQUITATIBUS,

DISSERTATIO PRIMA,

Quæ est

Ad Locum Taciti Germ: cap. 2.

De

VOCABULO GERMANIÆ,

AUCTORE

JOHANNE HENRICO EGGELINGIO,

Reipubl. Bremensi à Secretis Cancellariæ.

BREMÆ,

Typis HERMANNI BRAUERI, Illustr. Gymn. Typogr. 1694.

3

Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo, omniq;
virtutum genere excultissimo VIRO

DN. MELCHIORI
SCHWELINGIO,

U. Consulto Excellentiss. Liberæque
Reipubl. Bremensis Patriæ hodie
PRÆSIDI Gravissimo &c.

S. P. D.

JOHANNES HENRICUS EGGELINGIUS,

S*Cribenti mihi de* GERMANORUM *Nomine, cujus huic inscriberem labori Nominis Tutelam, nullum* Tuo PRÆSES OPTIME, *occur- dignius, nullum convenientius;* Tu *im tot Nobis Virtutibus tot Bonis praees, nihil tantis olim laudibus deprædicato ius splendori accedere hodie possit vel* Me-

 lius

lius *vel* Amplius Tuis, AMPLISSIME MELIOR, *antiquâ virtute & fide celebratissime* SCHWELINGI, *encomiorum Titulis. Sed accedit & alia subinde ratio, Singularis nempe* Tuus *in me, pronubâ quondam prosperiore fortunâ,* Tibi *Adfinitate junctum & Favor & Benevolentiæ cumulus; ita ut ingratus planè, adeoque germano Clientis nomine indignus essem, si vel tale* Patrono benignissimo *non præstarem Homagium. Suscipe itaque* MAGNIFICE PRÆSES, *fronte Serenâ, hoc, triviale quamvis & Dignitatis* Tuæ *Cothurno longè inferius, Sinceræ tamen devotionis certissimum* τεκμήριον. *Deus* TE *servet hunc quem auspicamur novum, multosque innumerabiles annos; servet* TE *mihi, servet* TE *Caritatibus* Tuis,*imò Toti* TE *servet Patriæ, in nostri gaudium, optiméque de nobis indies merentis* NOMINIS TUI *æternaturam Gloriam!*

Vovebam Bremæ, Ipsis Kal. Anni, supra Millesimum Sexcentesimum Nonagesimi quarti.

Magna

MAgna mihi semper, ex gravissima Imperatoris nostri auctoritate, *fuit reverentia antiquitatis*, sed & haud minor Patriæ charitas; hæc itaque nunquam permisit, ut istam foris quærerem, domi negligerem, præsertim cùm hîc amplissimum nobis, licet & informem asperumque industriæ campum aperiat dulce Solum natale GERMANIA; Hæc enim professò, an *lirarum* an *literarum* cultura *tristior* olim fuerit, non immeritò quispiam dubitaverit; utrumque certè asserit Tacitus, posterius verò hodiedum confirmant illustria tanta Eruditorum circa Antiquitates nostras inde suborta & dissidia & desideria;! quæ, quod mirere meritò, primâ statim fronte occupat *Germaniæ nomen*, non minorem hactenus interpretum; quam ipsa quondam Regio, hostium vim, perpessum; Inter enim tot eruditos Viros vix uni cum altero de vocabuli hujus genuina significatione convenit, ita ut verè hîc quadret illud Comici: *Suum cuique caput est, ut pileus*; neque tamen in tanto divortio vix quisquam Eorum, vel alieno vel suo etiam satisfecit ingenio: *Sane Interpretes hic fluctuant & fluctuabunt æternum*, inquit oculatissimus aliàs Lipsius ad Taciti German: cap. 2. §. *Ceterùm Germaniæ vocabulum recens* &c. pollicemque Huic ibidem premit perspicacissimus Gronovius: *Locus, inquiens, ex illis est in quibus majori cum fiducia destruas aliena, quàm moliaris & struas tua.* Interea, quoniam veram solus Hic communis ἐτύμου nostri originem aperit,

l. 3. seu const. ad Mag. Sen. §. 10. C. de vet. jur. enucl.

in de Mor. Germ. cap. 2. 19. 14. & 45. add. Strabo lib. 7.

Varias Horum opiniones enarrat Christophorus Philippus à Waldenfels in Select. Antiquitatibus lib. 7. cap. 14.

primas etiam jure ordinis occupabit laborum nostrorum partes, quas alii deinde, prout occasio dabit & materiæ ratio, utrâque linguâ sequentur miscellanei; sed omnes uni veritatis, à Doctioribus & Sapientioribus hoc incitamento perspicaciùs inquirendæ, adeòque publicæ utilitatis amori, candido consecrati animo; qui, si cuiquam alii, mihi certè ab arrogantia & φιλαυτία, funestis illis Reipublicæ literariæ pestibus, in omni vita per fuit alienus; quare etiam non tam aliorum opinionem recensebimus, multòminùs censebimus, quàm nostram saltem proponemus, & quantùm licuerit, probabilibus (*talibus* autem, secundùm Strabonis effatum, *in hujusmodi rebus par est contentum esse*:) eam fulciemus conjecturis. Textus itaque in vulgata, à qua temerè recedere mihi religio sit, hic est: CETERUM GERMANIÆ VOCABULUM RECENS ET NUPER ADDITUM: QUONIAM QUI PRIMI RHENUM TRANSGRESSI GALLOS EXPULERINT, AC NUNC TUNGRI, TUNC GERMANI VOCATI SINT; ITA NATIONIS NOMEN, NON GENTIS EVALUISSE PAULATIM; UT OMNES PRIMUM A VICTORE OB METUM, MOX A SE IPSIS INVENTO NOMINE GERMANI VOCARENTUR. Ante verò quàm hujus loci expositionem aggrediar, non immeritò heîc præmitto illud Oweni de Tacito, cùmprimis quoad locum istum, verissimum effatum:

lib. 4. p. m. 135.

Lib. 2. Epig. 159.

Veracem fecit probitas, natura sagacem;
Obscurum brevitas Te; gravitasq; brevem.

GERMANIÆ VOCABULUM: Si audiendi hîc Grammatici, non rectè fortassiis dixerit *vocabulum*; ita enim Varrò: *Nomina differunt à vocabulis, ideò quod sunt infinita, ac res communes designent, ut: Vir, Mulier; cum Nomina sint finita ac significent res proprias, ut: Paris, Helena*: Verùm, Præterquàm quod Poetis & Comicis, imò & Oratori-

de L. L. l. 7. in fine.

Oratoribus aliquando nomina propria dicuntur *vocabula*, Tacitus heîc ad Germaniæ nominis originem, ita à communi *Fratrum* vocabulo, ut infrà monstrabitur, appellatæ, respexisse, atque sic nostram ibidem propositam sustinere credi poterit opinionem: Idem itaque deinde aït: *Germani vocati sint*, item *Germani vocarentur*;

RECENS: In proximè antecedentibus dixerat: *Manno tres filios assignant, è quorum nominibus proximi Oceano Ingevones, medii Hermiones, ceteri Istævones vocentur. Quidam autem licentiâ vetustatis, plures Deo ortos, pluresque gentis appellationes, Marsos, Gambrivios, Suevos, Vandalios, affirmant: eaque vera & antiqua nomina*; Horum scilicet ratione, Germaniæ vocabulum recens.

ET NUPER: Circa scilicet finem Cimbrici belli, ut posteà patebit, qui unò antequam Cæsar nasceretur, anno contigit.

ADDITUM: *Multò magis hoc demulcet*, inquit Gronovius ad h. l. *quam auditum, datum, inditum, impositum.* A Romanis nempe; hi enim Germaniam latinâ subinde voce appellarunt Patriam Eorum, quos, ut jam dictum, circiter exitum Cimbrici in Italia Belli, vocarunt Germanos.

QUI PRIMI RHENUM TRANSGRESSI GALLOS EXPULERINT NUNC TUNGRI: Ita destinguendum, & proinde dispiciendum, cujusnam Gens ista *Tungrorum* fuerit Nationis, Germanis originem dantis: Taciti tempestate TUNGRI recentiùs ita dicti, ipsi illi erant, qui ævo Cæsaris (in cujus copiosissimis Commentariis ne minima quidem de Tungris suspicio) appellabantur *Attuatici*, probant id Ptolomæus lib. 2. cap. 9 & Antoninus in itenere *à Castello Coloniam* p. m. 85. qui; sive *Advacam* sive *Attuaticum* faciunt *Tungrorum*; *Attuatici* verò, ut idem Cæsar lib. 2. de Bello Gallico cap. 29. expressis verbis dicit. *Ex Cimbris Teutonisque prognati, qui iter in Galliam*

vid: Cluverius Germ. antiq. lib. 2. cap. 15. & Chifletius: Natali solo Legum salicarum c. 7. p. 73.

Galliam atque Italiam fecerant: Interim non negligenda heîc gravissimi Auctoris ἀκρίβεια, qui, cùm solenni aliorum historicorum more, κατὰ πρόληψιν pro: *nunc Tungri*, dicere potuisset: *nunc Cimbri*, abstinere tamen maluit hoc nomine, quia Celto-Scythis illis, tunc cùm fieret expulsio, nondum impositum istud, quemadmodum jam *Gallis* suum erat; notabiliter itaque dicit:

QUI PRIMI GALLOS EXPULERINT RHENUM TRANSGRESSI: Revera enim primi erant. qui *Gallos* expulerant id nominis jam ubique adeptos, cùm antea Generali *Celtarum* cluebant.

GALLOS EXPULERINT: *Gallos ex Celtis fuisse oriundos patriâ, eorumque partem inter Pyrenæos montes & Alpes sedibus positis juxta Senones & Celtorios diu habitasse*; clarissime asserit Plutarchus: Vide, anne ex His Cæsaris tempestate ii fuerint, qui loco suprà citato *ipsorum linguâ* etiam tum *Celtæ, Romanorum Galli appellabantur*; Postquam scilicet Celtæ hi in jtaliam transgressi, pugnâ Alliensi Romanos fuderant, ipsam etiam urbem Duce Brenno ceperant, totosque septem menses inpotestate habuerant, atque sic alacrem & bellicosum semper ostendissent animum; ob vigilantiam, quâ penè Capitolii, sopito præsidio, potiti fuissent, &, quam omnes iis Auctores tribuunt, pugnacitatem, à Romanis *Gallorum* illis nomen inditum; namque ob eandem causam Marti sacer Gallinaceus & ipse cristam gestans & calcaria, ut de Naturæ affinitate & morum fermè parilitate, quæ, istis cum hac ave intercedunt, nunc sileam; de quo consulendi omninò Joann. Limnæus in Notitia Regni Franciæ cap. 1. Testim. K. p. 7. & Tholosanus in Præl. optimi JCti. l. 1. C. XI. Hos Gallos *omni Galliæ*, ut phrasi utar Cæsariana, nomen apud Romanos dedisse, quemadmodum Huic deinde Franciæ, cùm eam sequiori ævo occuparent Franci Alemanni, quis inficias eat? Fuit etiam cùm legenti in sæpius jam laudato

In Camillo.

vid. jbid. Plutarchus: add: Justinus lib. 24.

Lib. Gr. Gyraldus Hist. Deorum synt. 10. p. m. 270. Ant. item Augustinus Dial. 5. Antiq. p. 82. quibus junge omninò festivum Luciani somnium seu Gallum tomo 2. p. m. 595. 96.

Plutar-

Plutarchi Mario, *Cimbrorum Equites Galeas gessisse alatis fastigiatas CRISTIS*; mihi suspicio nasceretur: ab His, utpote Gallinaceis propriè convenientibus, Cimbros fuisse Gallorum nomine nuncupatos; sicut ipse Ille in Artaxerxe Auctor est: *Persas, Caras cristarum causa quibus exornabant Galeas, appellasse Gallos.* Item Suetonius in D. Julio Cæs: *Eum ex trans-Alpinis Gallis conscripsisse Legionem Alaudam, Gallico vocabulo appellatam*, sine dubio ἀπὸ τῦ φάλυ à Galero cassidis, quemadmodum hæc avis Latinis Galerita vel Cassita vocatur; Sed prior prævaleat opinio. Jam ut omnis de Gallorum horum ortu tollatur dubitatio, clarissima subjungam duorum locupletissimorum Auctorum Pausaniæ & Strabonis testimonia, Hic libro 4: *Hæc dixmus de Gallis, qui Narbonensem provinciam incolunt, qui quondam Celtæ appellabantur.* Iste verò lib. 1. seu in Atticis: *Verùm* ait, *ut Galli appellarentur, non nisi serò usus obtinuit, Celtas enim cum ipsi se antiquitùs, tum alii eos nominarunt.*

cap. 24.

p. m. 13.

p. m. 6.

VOCATI SINT: Iterum hîc animadverte quod dicat: *vocati sint*, non: *se ipsos vocerent.*

ITA NATIONIS NOMEN, NON GENTIS EVALUISSE PAULATIM: Postquam occasionem indicavit Tacitus quâ Cimbri Germani vocati sunt, jam tempus & ordinem exponit, quo id factum. *Nationis*, ait, *non gentis.* Penè corrigerem: *ingentis*, Cimbris enim hoc meritò convenire Elogium, ipsus Noster testatur infra cap. 37. *Eundem Germaniæ sinum proximi Oceano Cimbri tenent, parva nunc civitas, sed gloria INGENS, veterisq; famæ latè vestigia manent, utraque ripa * castra ac spatia, quorum ambitu nunc quoque metiaris MOLEM, manusque gentis & tam MAGNI exercitus fidem.* Verùm enim verò à vulgata mihi recedere sit relligio; Maneat itaque: *Nationis nomen non Gentis.* Gens autem, ut Cicero vult, *in Natione, quæ universalis*; licet interdum *Gentis* nomen latiùs

* *Ripam (utpote quæ propriè fluminis non Maris est) Rheni intellige; de Germania enim hîc Tacito sermo est; non cum Pichena*, littora Occani Orientalis & Occidentalis ad Cimbricam Chersonesum; *quid præterea in patria castra? Adde Cluverium in Germ. Ant. lib. 1. cap. 50. & lib. 3. cap. 22. Qui vel Athesin hîc vel alium in Gallia Italiave intellectum vult.*

Initio lib. 1. de Divin.

latiùs pateat, ut cùm vocamus jus gentium, quod omnibus nationibus & universo generi humano commune est; & *Natio* de singularibus hominibus quoque secundum eundem Tullium dicatur, pro Sestio 23. *Quæ esset nostra natio optimatium*, & in Pis: 91. *Nemo tibi obviam venit ne de officiosissima quidem Natione Candidatorum*; quare etiam Andreas Althamerus hic expresse contrarium sustinet: *Nam Gens*, ait, *est tanquam genus*, *Natio species & genus hominum, qui non aliunde venerunt, sed ibi nati sunt.*

NATIONIS nomine *Germanos*, ut mox patescet, *Gentis*, *Cimbros* intellectos vult.

EVALUISSE PAULATIM: Quemadmodum Gallo-Scythæ, teste Plutarcho, *domo egressi non uno neque perpetuo impetu, verùm quoque anno semper porrò progredientes, sub VER arma circumferendo peragrarunt continentem Europæ*, sic etiam Germanorum deinde nomen paulatim evaluit:

UT OMNES Rhenum transgressi Gallorum expulsores, qui, præter Tacitum nostrum initio allegatum, eodem ibidem Auctore Plutarcho *diversa hactenus singulatim habebant nomina.*

PRIMUM: *Tunc cum ex patria sua in Italiam movissent*, * *tantâ pernicitate ut ignis imminentes, animo, ferociâ & strenuitate in præliis invictâ, omnes quos in itinere aggrederentur, agerent eorumque bona ferrent.* A Gallis conterraneis suis, CIMBRI Celtico vocabulo appellati sint.

A VICTORE. Si, invito genio, heîc mihi permissum corrigere: *à vigore*, res esset expedita; *vigere* enim maximè militibus convenit, Cicero: *Diu legiones Cæsaris viguerunt, nunc vigent Pansæ.* Nepos: *Lacedæmonj paullò antè victores viguerant.* Gallo-Franci dicunt: *vigoureusement attaquer, defendre une place* &c: de Cimbrorum verò nostrorum *vigore* in specie locus est Plutarchi jam retrò citatus: *Hi animo, ferociâ, & strenuitate in præliis invictâ, tantâ pernicitate & vi ut ignis imminebant.*

Atque

in C. Mario

Inde Ver Sacrum *Justino lib. 24. dicta ista multitudo juvenum, quæ armis instructa mittebatur domo ad quærendam novam patriam, Coloniasque instituendas; add: Pythæus in Adversariis.*

* *Idem Plutarchus ibidem.*

atque sic integer esset locus: *Primum à vigore*, *ob metum* scil: *Cimbri* vocarentur. At enimverò, imperata mihi semel vulgatæ lectionis auctoritas me defendere Jubet hanc: *A victore*, scil: *Cimbrico* populo Cimbri *vocarentur*. Cimbrorum nomen præ reliquarum, quæ ex uno illo peninsulari nido magnâ sæpè copiâ provolarunt, Nationum nominibus, ad tempus evaluisse, ut omnes Hæ Istorum uno nomine Cimbri appellati fuerint, etiam inde probari videtur: quod soli Cimbri præ omnibus reliquis, non tantùm communi Patriæ, sed & toti cui imperabant mari, *de Bel: Get:* à Cimbrica Chersoneso ad utrumque Rheni ostium nomen dederint, Teste Claudiano.

Te Cimbrica Thethys
Divisum bifido consumit Rhene meatu.

OB METUM. Victorem hunc prædatoremque populum maximum, ubique tantum famâ Romanis ipsis incussisse metum, idem Plutarchus auctor est: *ut, Urbis suæ perniciem timentes, planè contra leges, Marium absentem & non interjecto eo, quod legibus definitum erat temporis spacio, consulem iterùm crearent*, saltem ut patriam bello tueretur adversus validos istos *latrones*, sive, ut Germani nominant: *Cimbros* de KIMPERS vel KEMPERS; C. enim in locum & sonum Kappæ Græcanici venisse sine dubio planè pleneque ut K. elatum semper, probat J. Lipsius in recta pronunc: Latinæ linguæ cap. 13. Apertiùs verò Priscianus: *K. & Z. quamvis figura & nomine videantur* *lib. 1. p. m. 8.* *aliquam habere differentiam cùm C. tamen eandem tam in sono vocum, quam in metro continent potestatem.* & Isidorus: *per C.* *Orig. l. 1. cap. 4.* *exprimimus* & K. & Q. Sed & Græci scribunt κίμβρεις, Kemper autem idem est quod Kriger / unde Cimbricæ Chersonesi hodiernis etiamdum Incolis, & finitimis Saxoniæ inferioris Westfaliæque Ruricolis Een Kemper to Pagen est Miles Eques ein Reuter; Een Kemper to Fluyen / Miles Pedes ein Fueß-Knecht / quos ambos uno aliàs nomine

Kriegers appellant; Dicuntur verò & hi à *capiendo* vom Krigen / argumento §. 17. l. de R. D. inde nostratibus: Wen ick et kregen Hadde / so hadde ick et Staelen. Pari itaque ratione *Cimbri* dicuntur *Latrones*, qua Latrones veteri Latio non nisi Milites erant ἀπὸ τοῦ λάτρου à stipe, à quâ & Stipatores dicti, ob prædandi deinde libidinem malè audientes. Verùm enim verò ea tantùm *Latrocinia*, ut Cæsar refert, *nullam apud Germanos habebant infamiam, quæ extra fines cujusque civitatis fiebant, atque ea Juventutis exercendæ, ac desidiæ minuendæ causa fieri prædicabant*. Mela quoque: *lib. 3. Jus in viribus habent, adeò ut ne latrocinii quidem pudeat*; & hoc meritò quidē, Didymus enim ad Homerum Od I: *Latrocinari apud antiquos infame non erat, sed honestum.* Quod etiam Eustathius ibidem confirmat: *Congruit his qui hæc dicunt historicus, qui narrat, quod vita Græcorum priscorum ex latrocinio, ut plurimùm lucraretur; & quod ex latrocinio vivere tantùm abfuit pudorem afferre, ut inter res pulchras poneretur* &c. Tunc itaque Cimbrorum nomen primùm commistis illis Gallo-Scythicis Gentibus non à Romanis, (quid enim Hi peregrinum imponerent) sed à devictis & ipsis ex Celtica illa Peninsula anteà egressis Populis inditum, cùm *in Italiam moventes*, juxta Quinctilianum: *majorem terrarum partem victoriis peragrarent.*

Plutarchus l. sup. cit. vide. Andr. Dacierium ad Festum in hac voce. lib. 6. de B. G. c. 23. add. Strabo l. 7. p. m. 203. & Diodorus Siculus l. 5. c. 33. Rob. item Sheringhamus de Anglor. origine c. 3. p. 55.

iterum Plut. in Mario

Decl. 3.

MOX: Quando scilicet à Mario, post victos quarto Ejus consulatu ad Aquas Sextias Teutones & Ambrones, quinto etiam Cimbros ad Vercellas aggressuro, *Hi per Legatos sibi* FRATRIBUSq; (ipsos autem illos Teutones & Ambrones, Tigurinosque & Tugenos ex itinere in societatem assumtos intelligebant Gallos) *agrum & oppida poscerent, quæ ad sedes suas ponendas essent satis*: Hactenus enim *Fratrum* nomenclatio eo significatu erat ignota, id quod ex Marii, appellationis novitatem mirantis sciscitatione: *ecquosnam Fratres dicerent?* Et binâ mox ejus vocabuli

Plut. ibid.

buli repetitione, non ampliùs suspiciosum, sed perspicuum est; atque sic

ASE IPSIS INVENTO NOMINE GERMANI VOCATI SUNT. Inventio *Fratris* nomine ita utendi à Germanis est, Illi enim, ut olim ita etiamdum sic se mutuè amicâ salutant compellatione, præsertim in bello, ubi vel ipse Campi-Dux gregarios milites subinde *Fratres* suos nuncupare non dedignatur; ne dicam heîc de illa *Fraternitate*, cujus Colerus ad hunc locum ita meminit: *Durat bodièque apud nostros ἀδελφότης quædam συμποσιακὴ, nec minùs religiosè colitur, ac priscis illis Romanis CARA COGNATIO.* Videant prætereà Doctiores, num in *Ambronibus* etiam Fratres lateant? *Ambrones* inquit Plutarchus, *seorsim ad arma concurrebant, &c. suum subinde nomen Ambronas inclamabant, seu mutuò se ita cobortantes, seu ut hostibus nominis sui mentione terrorem injicerent. Primi Italorum contra eos descendentes Ligures, cùm Eorum vociferationem percepissent, ipsi quoque Ambronas mutuò conclamabant, id enim nomen sibi originis suæ & gentis ratione Ligures vindicant*: Habuerunt itaque & Hi communia cum Cymbris cunabula: Dilucidè Festus: *Ambrones fuerunt gens quædam Gallica, qui subita inundatione maris, cùm amisissent sedes suas, rapinis & prædationibus se suosque alere cœperunt, Eos & Cimbros Teutonosque C. Marius delevit &c.* Idem autem de *Cimbris, Theutonis atque Tigurinis* Florus: *Hi*, inquiens, *ab extremis Galliæ profugi, cùm terras eorum inundasset Oceanus, novas sedes toto orbe quærebant.* Nomen itaque Ambronum compellativum potiùs fuit quàm proprium, nec prorsus aliud ac *Germanorum*, *quo sese mutuò ad pugnam cohortarentur*: Eran Bröders. Nisi mavelint Doctiores: Lingures æquè ac Ambrones olim in Patria sua Cimbricâ illa Peninsulâ habitasse ad fluvium *Rynum* vel *Ronum* (hi enim idem sunt) per Gluckstadium jam in Albim se exonerantem; atque sic dictos *Amrones* Amröners / pari ratio-

l. c.

lib. 1. in hac voce.

lib. 3. c. 3.

Vid. Webnerum in observat. pract. in Voce Rhin

ratione quâ secundum quorundam opinionem *Alani* olim qui ad Lanum fluvium, die Anlaner / so an der Laine wohneten: Ut itaque *inventio Fratrissationis* (liceat heîc mihi, cùm de Barbaris agam, etiam barbaré ὀνοματοποιεῖν) in sua lingua ipsis Germanis; sic, quæ inde nata, *impositio Fraterni nominis* in Latina, Romanis adscribenda est; continuat quippe Noster:

GERMANI VOCARENTUR: Suprà jam monui attendendum esse quod dicat? *Vocarentur*, non *se ipsos* tales *vocarent*; Romani namque audientes Cimbros, *ignotum hactenus Populum*, se mutuò & cives sociosque suos Gallos compellare *Fratres*, videntesque Eos ab *His*, jam longiori tempore per bella & commercia notissimis, *parùm differentes, si feritatis, corporum magnitudinis, & fulvi coloris excellentiam spectes*, verba sunt Strabonis, *sed & formâ & moribus & victu adsimiles esse Gallis, his jure id nominis indiderunt, quasi dicas veros Gallos, veri enim latinè germani dicuntur*. Atque sic firmo stat talo; Cimbros, Teutonos, eorumque Socios, primùm in bello Cimbrico, atque deinde ab His paulatim omnes trans-rhenanos Eorum populares, vocatos *Germanos*; sedesque patrias, non inconveniente, præsertim verò Historicis commodè inserviente derivatione, dictas fuisse generali nomine *Germaniam* à Romanis; à Romanis inquam, nunquam enim Illi Horum admisere inventum, sed peculiaribus se semper distinxere nominibus, usquedum seriùs domi invalesceret commune *Teutonum* nomen der Teutschen. Conringius ad locum nostrum Taciti: *Nescio*, ait, *an quo certo liceat Testimonio ostendere, isthac* (Germanorum) *appellatione Germanos ipsos suæ inter linguæ homines unquam usos*: Multò verò adseverantius Ægidius Tschudus: *Vocabulum ipsum GERMANIÆ, non sic omninò fuisset extinctum in Germania, si fuisset vox Germanica, potissimùm cum fuerit summum & præcipuum vocabulum hujus gentis, posteaquam particula-*

Plutarchus in Mario.

Libro 7. sub init.

In Epist. ad B. Rhenanum quæ Philologicarum à Goldasto 1610. editarum 53. ta est.

ticularium gentium nomina non sint apud vulgares homines obliterata, qualia sunt: PHRISII Friesen, SUEVI Schwaben. SAXONES Saxen, & alia quædam; & tamen populi isti solùm membra fuerunt totius Germanicæ nationis, sed retinuerunt in vulgari lingua nomina sua antiqua; Quid igitur accidit ut interciderit Summum GERMANIÆ nomen, si fuit compositum ex dictionibus Germanicis significativis, nempe ex GAR & MAN? Et certè nullus hodie in Germania invenitur populus, qui in ipsa Germanica lingua nomen retinuerit GERMANIÆ, sed solùm apud Latinos invenitur, hanc Nationem Germanicam vocatam. Quod itaque Imperator Romanus hodiè scribatur: König in Germanien / id à Maximiliano demùm primò est, qui sub finem Seculi Quinti decimi, planè præter morem, *Germaniæ* se quoque Regem primus nuncupavit, cum Decessores Ejus se vel *Reges*, vel juxta morem Caroli M. *Reges Francorum & Lombardorum*, vel tandem etiam *Romanorum* nominarent; talis quippe Istius fuit titulus: *Maximilianus divina favente clementia, Electus Romanorum Imperator, semper Augustus, Rex GERMANIÆ & Hungariæ* &c. Næ itaque oppidè falluntur Illi qui *Germanorum* vocabulum idem esse volunt ac *Gar-mannorum Totorum Virorum*, *Guer-mannorum Militarium Virorum*, *Wermannorum Armatorum* vel *Defensorum Virorum*; Cum insuper Germanicum Mann Vir, Romanis Auctoribus non incognitum, iisque semper *Mannus*, nunquam verò *Manus*, fuerit scriptum, certissimo argumento, Istud olim æquè ac hodiè Nostratibus Mann Virum Sonasse, non Man effœminatum in *Lunam*. *Celebrant carminibus antiquis Mannum*, item: *Manno tres filios assignant*, ait Noster. Noti quoque sunt *Marcomanni*, *Alemanni*, *Nortmanni &c.* qui Populi omnes per geminum N. N. rectè scribuntur, inquit Schottelius in Op. de Lingua Germ. l. 2. cap. 8. pag. 287.

Vid. Lupold. de Bebenburg de jure regni & imper. Rom. cap. 5.

Petr. Chrysologus Serm. 120. cap. 2.

Proinde, sit jam licet, plenior & planior Taciti hic locus talis

talis: COETERUM GERMANIÆ VOCABULUM RESPECTU ANTIQUORUM: MARSORUM GAMBRIVIORUM, SUEVORUM, VANDALORUM &c. NOMINUM RECENS, ET NUPER, DEFLAGRANTE CIMBRICO BELLO A ROMANIS ADDITUM; QUONIAM QUI EX CHERSONESO ILLA CELTICA QUÆ NUNC CIMBRICA DICITUR, PRORUMPENTES, RHENUMQUE TRANSGRESSI PRIMI GALLOS, ID NOMINIS A TEMPORE BRENNONIS DUCIS JAM UBIQUE ADEPTOS, EXPULERINT TUNC CIMBRI, NUNC TUNGRI, GERMANI VOCATI SINT. ITA VERO NATIONIS GERMANORUM NOMEN, NON GENTIS CIMBRORUM, EVALUISSE PAULATIM, UT OMNES RHENUM ALIQUOTIES TRANSGRESSI CELTARUM CISRHENANORUM ET GALLORUM, DIVERSA HACTENUS SINGULATIM HABENTIUM NOMINA, EXPULSORES, PRIMUM A VICTORE HOC POPULO, ANIMO, FEROCIA, ET STRENUITATE IN PRÆLIIS INVICTO, A GALLIS CONTERRANEIS SUIS OB METUM, CELTICO VOCABULO CIMBRI; MOX, CUM A MARIO SIBI FRATRIBUSQUE SUIS TEUTONIBUS, AMBRONIBUS, TIGURINIS ET TUGENIS, AGRUM ET OPPIDA POSCERENT QUÆ AD SEDES SUAS PONENDAS ESSENT SATIS; AB HAC FRATRIS NOMINE UTENDI RATIONE A SE IPSIS INVENTA, MARIANIS MILITIBUS ALIISQUE DEINCEPS POPULIS, GERMANI VOCARENTUR. Ex iis vero, quæ hactenus dicta sunt, sequentia conciliandis pluribus Historicorum, si quæ videntur repugnantiis, & solvendis paradoxis, notanda erunt Proloquia:

Primum est: *Gentem quandam aut Nationem sæpè foris alio indigitari nomine, quam quo domi gaudet.* Sic: qui Ro-

Romanis Galli & Germani, qui Gallis Cimbri, suis secum distincti erant nominibus: Sic *Omnes Occidentales Populos*, scribit Otho Frisingensis, *Francos ob antiquam Gentis illius virtutem & dignitatem Orientales appellare solent.* Sic hodiedum multæ Orientalis & Occidentalis Indiarum Nationes aliter Europæis quàm sibi cluent. Chron. Henrici IV. Imp.

Secundum: Ab una aliqua Gente hoc vel illud nomen foris sortita, non modò integram ubique degentem Nationem, sed & ipsam ejus Patriam, apud Extraneos fuisse nuncupatam: Ita ab Arctoïs istis, qui Duce Brennone in Italiam transgressi, Gallorumque ibidem Nomen erant adepti, omnes subinde & Cis-& Trans-rhenani, imò verò etiam, qui domi remanserant, Græcis & Latinis scriptoribus fuere Galli, ipsorumque Patria unde paulatim prodierant, sive Celto-Schythia, sive Scandinavia, sive Cimbrica esset Chersonesus, vocata Gallia. Utrumque unâ luculentâ firmabo auctoritate; Prius quidem Diodori Siculi lib. 6. cap. 32. p. 293. *Nunc* inquientis: *quòd à multis ignoratur, diffiniri operæ precium est; Gallos, qui interiora supra Massiliam tenent, & qui circum Alpes, ac cis Pyrenæos montes habitant, hos Celtas nominant, qui verò infrà hanc ipsam Celticam, partes Austrum versus, & ad Oceanum, Hercyniumque montem sitas incolunt, omnesque ad Scythiam usque diffusos, Gallos vocitant. At Romani gentes hasce universas unâ Gallorum appellatione comprehendunt.* Posterius verò Flori, jam suprà adductâ: *Theutoni atque Tigurini ab extrema Gallia profugi*: per extremam Galliam non aliam intelligentis, quàm Cimbricam Chersonesum. Cui si lubet, addi poterit Olaus Rudbeckius prolixè hanc in rem disserens in Atlanticæ suæ cap. 37. de Expeditione Gallorum.

Tertium, & quod apprimè notandum, est: *Histo-*

riarum Scriptores sæpissimè loqui κατὰ πρόληψιν, id, quod postea est aut accidit ante tempus adscribendo: Tali anticipatione jam jam utentem audivimus Florum, superiusque Plutarchum in Mario: *Teutones & Cimbros, quod nullum haberent cum aliis commercium, atque ex tractibus advenirent longinquis, nemo noverat, qui mortalium essent, aut unde profecti, nubium modo incumberent Galliæ & Italiæ; Ex corporum verò proceritate & cæsiis oculis maximè, nationes Germanicas conjectabant esse.* Similem in modum audias Livium loquentem: *Tarquinio Prisco Romæ regnante, alia subinde manus Germanorum Elitovio duce vestigia priorum secuta, eodem saltu favente Belloveso cùm transcendisset Alpes, ubi nunc Brixia ac Verona urbes sunt (Locos tenuere Libui) considunt.* Ubi etiam advertendum: Hos Historicorum Principem vocare *Germanos*, quos paulò antè & deinceps *Gallos*: nimirum Fratres erant uterini ex eadem Matrice progressi; ideòque non necessum cum quibusdam heîc legere *Cenomani* pro *Germani*.

lib. 5. cap. 35. in per.

Adde & his *Quartum*: *Veteres olim Auctores Nomina interdum germanica retinuisse, sed suæ linguæ, quò commodé flectere possent, eis dedisse terminationem; nonnunquam ea planè vertisse in vernaculam.* Primum prioris exemplum sit in nomine Belgarum der Bälgers: Balge autem nobis locus est depressus & uliginosus, ein Bruchig und Sumpfiger Ort / unde fossa illa vetus, quæ prima quondam Bremensium definivit habitacula, defluentem undique colluviem recipiens, dicitur die Balge; talia autem loca inhabitasse Belgas ipsa probant hodierna *Hollandiæ Niederlandiæque*, gallicè *des Pais bas* celebratissima nomina. Parili ratione de *Marsis*, qui non alii sunt quàm nostri Mars-Ländere terram demersam habitantes, sic Strabo: *Prima Germaniæ regio est ad Rhenum, à fontibus ejus usque ad ostia &c. Hujus partis*

lib. 7. sub init.

tis populos Romani partim in Galliam traduxerunt : reliqui migraverunt in penitiores Germaniæ partes ut Marsi ; Ita quidem ἐν βάθει χώραν vertit Guil. Xylander, cum *in profundam plagam* debuisset ; sed et Horum contermini *Bructeri*, Germanis sunt die Bröckere / uvida arbustisque palustribus consita incolentes loca. Sic Tacitus noster cap. 8. *Auriniæ* meminit fœminæ *responsis olim apud Germanos venerabilis*; Ohr-oder wie unsere Westfälingere reden Aur-rune est quæ aures, ut Latium loquitur, vellicat, seu in eas Sagæ instar Fatidicæ, & ut Divinatrices solent, insusurrat, de int Ohr runet; In veteri Psalterio meo Teutonico membranaceo, Psalmi 3. ℣. 8. verba hæc: *Dentes improborum confregisti*, versa leguntur: Du hevest de Tene der Bössen orrunere / Susurronum, to wreven / quasi diceret: qui ore peccavere, ore etiam pœnam dedere: facile autem fieri potuit, ut deinde ex hac *Aurrinia* mutatâ unâ liquidâ in aliam, fieret *Aulrinia* & tandem *Alrüinia* Alrüne: de quibus videndi Comentatores in h. l. Sic porrò Strabo lib. 7. haud procul initio, uxorem Arminii memorat *Thusnrldam*, quid, amabo, sonat hoc nomen aliud, quàm *Domi agilem, rebusque familiaribus ordinandis expediundis ve celerem promptamque*, to Hueß schnelle ? Similis argumenti, sed posterioris Axiomatis hujus Membri Exemplum dabit *Locusta* juvenalis, quam, secundum Bernh. Autumnum, *Matronam veneficam ex Gallis à Nerone accersitam*, suâ, id est Germanicâ linguâ, dictam fuisse Heemke (nomine etiandum nostratibus fœminis perquam familiari) quovis pignore certare ausim; Est enim Locustarum genus duplex: Campestre & Domesticum; hujus verò nomenclatio optimè sequiori convenit Sexui, ut pote cujus præcipuum, Gregorii Nazianzeni effato, *ornamentum est, domi ut plurimum manere, pedemq; limine non admodùm frequenter efferre*; Quare etiam *Eliorum Phidiam Venerem testudini insistentem finxisse* refert Plutarchus in præceptis

l. 1. Sat. 1. vs. 71. add. Tacitus lib. Annal. 12. c. 66. & lib. 13. c. 15. in fine. Sueton. item in Nerone c. 33. & 47.

ceptis connubialibus, *domi* (Locuſtarum noſtrarum inſtar) *manendum & foris ſilendum fœminis ſignificantm*: Talia ab Animalibus laude aliquâ dignis deſumpta nomina, priſca, ut etiamdum ſimplex ruricula noſtra, adamabat Germanorum Gens; nunc verò

poſtquam ſapere urbi
cum pipere & palmis venit,

Nuribus ea noſtris, tanquam non ſatis ad Gallicum ſeculum, planè ſordent; Sed de iſtis in ſequenti pluribus agemus Diſſertatione.

De primâ autem Germanicæ Nationis origine hîc quædam fortaſſis reſtarent dicenda; Verùm enim verò, cùm, ut ſupra ex Livii libro 16. in princ: didicimus, *rerum geſtarum una fidelis cuſtodia ſint literæ, illarum autem ſecreta olim viri pariter ac fœminæ apud Germanos ignoraverint, unum ſaltem Annalium genus carmina habentes; in quibus tamen*, inquit Conringius, *vim certæ ſcientiæ collocare, neſcio annon fuerit veſtigia in lubrico ponere; Quis enim à Poëtis veram exigat rerum fidem, quarum ars omnis in fictione eſt?* Elegantiſſimè ſanè hanc in rem Petronius: *Non enim res geſtæ verſibus comprehendendæ ſunt, quod longè melius Hiſtorici faciunt: ſed per ambages, Deorumque miniſteria, & fabuloſum ſententiarum tormentum præcipitandus eſt liber ſpiritus, ut potiùs furentis animi vaticinatio appareat, quàm religioſæ orationis ſub teſtibus fides*; proindeque veriſſimé tantùm Poëta recentior:

Tacitus de M.G. c.19.
cap. 2.
in præfat. ad Taciti Germ. pag. 50. qui omninò hîc conſulendus.

Greſſibus incedit certis, pede quæ ſine certo
Cedit in Hiſtoriis indubitata Fides.
Quæ verò pedibus graditur ſuffulta, vacillat
Semper, ab infami Carmine nata Fides.

Atque tali jam olim noſtra etiam carmina, fabuloſis incruſtata traditionibus fide laboraſſe, vel ex eo conſtat, quod *fictionis* ea ob *vetuſtatis licentiam*, ipſe Cornelius ibidē accuſet

accuset. *Cùm*, inquam, *itaque*, verba sunt supra jam laudati Æg: Tschudi, *proprios antiquos Auctores* historicos *non habeamus, qui res nostras descripserint, atque inde confugere nos oporteat ad exteros Latinos & Græcos*; verùm & His *Germanicæ Gentes tum demum*, ex Strabonis auctoritate *innotuerint, cùm Augusti ævo bellum contra Romanos gererent, deinde concederent, post vel rursus deficerent, vel suas habitationes desererent; septentrionles autem, trans Albim ad Oceanum porrectæ* (unde tamen Majorum nostrorum Processus) *illis prorsus fuerint ignotæ*; adeò, ut ipse nostrarum rerum curiosissimus, atque, ut aliis scriptoribus posterior, ita & certior Tacitus *Germanos nonnisi crediderit indigenas*; quid ego sodes, certi de ea, præter leves, si non planè ridiculas conjecturas, dixerim? Sufficiat itaque ex probatissimis Scriptoribus scire: Majores nostros ex vasto illo arctôi orbis spacio, quod indigenæ *alterum terrarum orbem* apud Plinium, veteres Latini *Scandinaviam, Scandiam & Scanziam*, Græci *Balthiam* appellant, *ex officina illa Gentium & vagina Nationum* prodiisse, atque, ut victoriosa ubique arma, sic Mavortia in terrarnm orbis terrorem latè circumtulisse Nomina; Sive enim *Scythæ*, sive *Celtæ*, sive *Galli*, sive *Cimbri*, in omnibus Fortes audivere & Bellatores; De duobus his postremis jam suprà dictum est; sed nec *Scythæ* aliud sonant, quàm *Sagittarios* aut *Jaculatores*; batavicè de Schuters; hoc enim Eos armorum genere ceteris præstitisse, Parthi probant & Persæ, immò ipsi Germani nostri, à Scythis omnes oriundi; de Parthis honorificè Dionysius.

lib. 7.

Adde Eundem Tacitum ibid. sub init.

Ibidem

lib. 4. c. 13.

Jormandes cap. 4. & Freculphus Chron. l. 2. c. 17.

Πάρθοι ναιετάουσιν ἀρήιοι, ἀγκυλότοξοι

Parthi degunt Martii, curvis arcubus utentes

Et nostram in rem appositè Ammianus: *Cùm Arcus omnium gentium flexis curventur hastilibus, Scythici soli vel Parthici, circumductis utrinque extrorsus* (non introrsus ut vulgo)

lib. 22. c. 8.

In libro de Metris initio.

vulgo) *pandis & patulis cornibus*; Succinensque Huic Terentianus:

Ceu Parthus solet aut Scythes
Arcus cornibus extimis
Levem nectere lineam.

Arschot. Tab. 13. N. 20.
in Apophthegm. cui junge Baudelot. De l' utilit. Des voyages tom. 2. pag. 609.

His quippe adeò familiaria fuere Arcus & Jacula, ut tanquam propria Eorum insignia Tiaræ addita, in Nummo contemplentur Augusteo; Tanto etiam apud Persas in honore, ut Sagittarii notâ sacrum signarint Nomisma Plutarcho Teste. *Germanos Frameis suis & eminus pugnasse, missiliaque sparsisse* prodit Tacitus l. n. cap. 6. Has Frameas Alemannicè Pfriemen/ Saxonicè Prämen, Diod: Siculus lib. 5. cap. 29. *Saulios* (ita enim legendum, non *Saunios*) vocat, Saxonicè Soul/ idemque est quod Präm Stylus præacutus ad terebrandum idoneus; talem autem in modum factum esse ferrum, quo Framea Gallicè Javelin, præmunitur, ipsa docet experientia; Eos verò *sagittandi peritos* laudat Jul. Capitolinus in Maximino; in specie verò de Fennis, quos Germaniæ adnumerat Noster l. c. *Sola*, ait, *illis in Sagittis spes*; hinc Hominem arcu & Sagittis instructum cernis in prisco illo Monumento Schytico quod Cornu aureum Danicum vocant, apud Ol. Womium lib. 5. Monum: Danicorum Mon. 6. pag. 144. In ll. Anglo Saxonicis Alfredi Regis cap. 40. pag. 42: Giff se Scytefinger Bith of aslagen / seo Bote bith Syftynescyll. *Si quis alteri digitum Sagittarium ictu avulserit, 15. solidis multetur.* Immò tanta quondam Arctoï Sagittarii fuit existimatio, ut signum Ejus ipsis Hiemalibus inferretur astris. Porrò, quid *Celtæ* aliud quàm διὰ τὴν ἐπιφάνειαν, Germanico vocabulo die Gelter? Namque *Celtæ à se ipsis antiquis temporibus vocati sunt*, inquit Pausanius in Atticis; & Cæsar loco suprà inpartes vocato: *Tertiam Galliæ partem incolunt, qui suâ linguâ Celtæ, nostrâ Galli appellantur.* Sed & haud minorem apud Historicum nostrum habent laudem, quorum pars

Hyginus poëtic Astronom. Strabo lib. 3. no. 26.

junge Jodocum Willichium in Taciti Germ. parte poster. no. 1. p. m 558.